



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 157. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas. v. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

Marthæum ad c. 26. v. 25. Quomodo autem Pilatus tam facile & bene acquieverit defensionem Domini quo ad regium nomen & sumptum de hoc accusationem pulchrè in S. Ioannis narratione patebit, quo illud remitto.

§. 157. *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas v. 4.*

Ingenuam confessionem excepit præsidis æquitas, iudicans hoc regnum quod ita ingenuè confiteretur professor eius nihil obfuturum Augusto, cum nemo male agens, quod aliis nociturum sit, tam facile confiteatur maximè iudici.

**D**Eus meus video, quod magnum sit bonum candor & ingenuitas: illa transit angustias plurimas, ante quas hæret vafrices & duplicatas, volo igitur & ego ei impensè studere, simpliciter agere & loqui. Tu per candoris tui meritum, da mihi virtutis tam insignis exercitium & habitum,

§. 158. *Nihil inuenio causa in hoc homine. v. 4.*

In omnibus illis, in quibus eum accusatis, ô principes, sive aspiciam populi subversionem, sive Cælaris tributum, sive quod se regè Iudæorum dixerit, non inuenio aliquid plectendum in ipso jam examinato. Imo laudandum, quia miseris succurrit, imperitos docuit legem, & bonos mores, ægros sanavit, sacerdotibus suum jus tribuit, Imperatorum tributum accuratè solvit & pependit ipse, ac suos iussit dare, & cum sit Regum, quondam ex gente vestra creatorum filius, nihil contra tamen contra statum vestrum vel Rom. Imperium molitus est.

**Q**uis mihi dabit, ut dicatur de me quoque in die iudicii, quando stabo ante te, Deus meus, iudex iuste, tremens & expectans sententiam extremam vitæ vel mortis, cumque adversum me stabunt cæli & terra, ignis & aqua, & omnes creaturæ cum quibus & per quas ego miser peccator heu nimis peccavi, ut dicatur, inquam tunc mihi, *Nihil inuenio causa in hoc homine*, quia pœnitentia, deleuit culpam. O me tunc bectum! ô felicissimum! itaque nunc iuste iudex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis, ingemisco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.

§. 159. *At illi invalescebant, dicentes. v. 5.*

Commune est omni superbo & peccatori, invidiæ vel odii stimulis agitato, si vel minima injustitia, superbia, invidia tanguntur, moveri, stormachari, clamare, cōqueri, quasi sibi nulla fieret justitia. Id plane his Iudæis contigit audientibus à Pilato, Christum ab eis male accusatum, & delatum esse